

# PALAESTRA LATINA

## SUMMARIUM

---

- Palaestra Exerctatoria, TEJEDOR, SERRA.  
Philosophus et poëta inter sese comparantur, ORTH.  
De Plantis,  
Nova et Vetera, MIR  
Sermonis Latini notae: de substantivo hispanico vertendo, TRISTANIUS.  
Q. Horatius Flaccus, NOGUÉS.  
Sanctae Clarae Assisiensis laus, URQUIOLA  
Epistolla soluta.  
Colloquium, SARMIENTO  
Exercitationes Scholares, GARCÍA, FRADERA  
Compositiones vertendae.  
Curiosa et jocosa, MAULEÓN.

**Ordinarii et Superiorum licentia**

# Palaestra Exercitatoria

## SMO. ALTARIS SACRAMENTO

*Tantum supplicium probraque talia,  
Ut nostra in Dominum crimina solveres,*

*O Jesu tolerare  
Annon suppetiit Tibi?*

*Cur ergo sapidum Te faciens cibum*

*Hic nostris animis, esse sacrario*

*Nobiscum voluisti*

*In noxas hominum latus?*

*Erga nos miseros maxuma caritas*

*Est vinclum solidum Te religans humo.*

*O Dilectio, Summum*

*Devincire Deum potens.*

*O Corpus Domini, candida Victima*

*Propter nos homines in Cruce praebita*

*Patri, cotidieque*

*In mystae manibus suis*

*At cur, o hominum Fautor amabilis,*

*Inclusum veluti carcere parvuli*

*Templi, mi bone Jesu,*

*Lictum cerno Te ab omnibus?*

*Xerae Equitum, 1947 · B. TEJEDOR, C. M. F.*

## QUARE LIQUISTI ME

*Jam palla faciem nocturna pallida luna,*

*Offensa, obtexit, tanto scelere atque nefando;*

*Tectaque sidereos liquit velociter arcus.*

*Aetereus currum Phoebus conscendit ovantem*

*A rapidis tractum nive candidioribus atque*

*Gossypis et equis, quibus extemplò dedit ille*

*Perlaxum retinaclum et qui portas petiere*

*Caelorum subito, fulgores ac generantes,*

*Fulmen terrificum, raucos etiam tonitrusque*

*Cum chalibe astrorum tecti propter solearum*

*Collisum; nitidus caeli portas patefecit*

*Lucifer, atque tum equi phoebei ivere per illas,*

*Tunc atmospheram texerunt nubila cunctam,*

*Atque Creatoris lacrimaverunt in agone*

*Quod, turpe; immites homines minime lacrimabant.*

*Imo de centro nervose est terra agitata,*

*Atque vacilavit veluti rauci maris inter*

*Horrendos aestus tremit baria parva. Profundas*

*Ignivomi montes fauces pandere. Furentes*

*Caelorum spatium venti tum sibila dantes,*

*Tum decurrerunt frondes teneras agitantes.*

*Mundi Salvator pendens magna ex cruce: «Quare*

*Me Pater, inquit, amans, liquisti tanta ferentem?»*

*Xerae Equitum, 1947. · J. SERRA, C. M. F.*

# EDITORIAL GRAFICAS CLARET

## TEXTOS PALAESTRA

Preparados por PP. Misioneros del Corazón de María

### 1.º y 2.º Cursos:

Historiae Sacrae Compendium (2. <sup>a</sup> edición) 4'00 ptas.
Epitome Historiae Graecae (3. <sup>a</sup> edición) 5'00 »
C. Nepotis Vitae Excellentium Imperatorum (en prensa)
Primer Curso de Lengua Latina 3'60 ptas.
Segundo Curso de Lengua Latina 5'00 ptas.

REPETITORIUM	en cartón 12'50 ptas.
	en tela 15'00 »

### 3.º y 4.º Cursos:

Ciceronis Epistulae Selectae 3'00 pts.
Caesaris de Belló Civili' (agotado)
Ciceronis in Catilinam (I. <sup>a</sup> ) 3'00 pts.
Ciceronis pro Archia poeta 3'00 pts.

### 5.º y 6.º Cursos:

Sallusti de Catilinae Conjuracione 4'00 pts.
Vergilii Aeneidos liber II 4'00 »
Horatii Carmina Selecta (en prensa)
T. Livii Historiae Selectae 6'00 »
De Orthographia Latina 3'00. »

### 7.º Curso:

Prudentii Carmina Selecta (agotado)
Homeri Odyssea (canto 1.º) 5'00 pts.

### Edición de sólo texto latino:

Ciceronis Epistulae 1'00 pta.
Ciceronis in Catilinam (I. <sup>a</sup> ) 1'00 »
Ciceronis pro Archia 1'00 »
Sallusti de Catilinae Conju- ratione 2'00 pts.
Vergilii Aeneidos liber II 2'00 »
T. Livii Historiae Selectae 3'00 »

## Otras obras de la Editorial

Las Maravillas de Fátima	Fonseca, S. J.	8'00 ptas.
Fátima y el Corazón de María	Ribera, C. M. F.	4'00 »

### Devocionarios del P. Ribera:

Mi Jesús	6'00 ptas.
Dios conmigo	4'00 »
Querubín	2'75 »
Angel de la Infancia	2'00 »
El Niño Piadoso y la Niña Piadosa	4'00 »
Angel de la Juventud	5'00 »
Mi Primera Comunión	5'00 »

# ¿Desea un Diccionario LATINO-ESPAÑOL

**EXACTO, CORRECTO, ELEGANTE, para la versión española?**

Lo encontrará en el **Diccionario**  
del catedrático **D. Eustaquio Echaury**

Contiene una lista muy completa de PRETERITOS y SUPINOS, otra de nombres propios y un Diccionario Español-Latino. Señala, además, la cantidad de la VOCAL, que es lo que tiene verdadera importancia.

Forma un tomo de 850 páginas en 8.º —Ptas. 30— 5.ª edición

OBRAS DEL MISMO AUTOR:

**Crestomatía Latina**, para los siete cursos.

**Gramática Latina**, en dos tomos (obra premiada)

**Literatura Latina**, (premiada) en prensa la segunda edición

Todo en:

**EDICIONES ATLAS, Ibiza, 29 - Madrid**

## FOTOGRAFADOS

# M. JOLANO

ARIBAU, 9, INTERIOR · TELEFONO, 30255

## BARCELONA

Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis

# PALAESTR A LATINA

Pretium subnotationis annuae, solutione antelata, est 25 pesetarum in Hispania et Lusitania, 26 pes. in America et Philippinis insulis, et 27 pes. in reliquis civitatibus - Pretium mittatur oportet ad Administratorem, Lauria, 5 - Barcinone - Apart. 2042

## Philosophus et poëta inter sese comparantur

In societate cultuque hominum et philosopho et poëtae locus honoris conceditur, et juvat hic quaerere quaenam inter eos intercedat ratio, quo vinculo inter se jungantur vel qua dissimilitudine distinguantur. Vetustissimi philosophi Graeciae simul poëtae fuerunt; doctrinas versibus ediderunt, quoniam numerosa oratio facilius memoriae imprimitur et quolibet tempore fidelius sententiae formam profert. Quod in proverbio est oratorem fieri poëtamque nasci, haud scio an rectius dicamus et philosophum et poëtam nasci; nam ut poëtae facultas poëtica a natura insita est, ita philosopho quoque indoles quaedam philosophica indita est. Aliud tamen philosophus sibi in agendo proponit, aliud poëta; ille solam cognitionem et inventionem veri persequitur, hic autem non adeo ad veritatem ipsam, sed ad rerum pulchritudinem illustrandam attendit atque prodesse et delectare in animo habet.

Philosophia de veritate rerum agit; poësis est quasi collustratio operationum philosophiae, illa sapientia non est pictura, sed perspicua inquisitio veri; poësis autem est pictura neque omnino adaequata neque vera rerum expressio; philosophia est scientia, poësis contra est ars; philosophus est perspicax atque acutus ad excoGITandum, poëta vero metri dominus verborumque artifex videtur. Philosophia necessaria supellex est ad explicandas augendasque scientias; poësis est ornamentum dumtaxat humanae vitae et jucunditas, qua homines etiam carere possint; poësis propius ab arte rhetorica quam a philosophia abest.

Philosophus ratione seu abstractione utitur; poëta sensibus hominum formas suae ipsius mentis quasi concrete — seu re — accommodat. Ille intellectum ad verum investigandum acuit, hic sensum pulchritudinis allicit et excōlit; philosophi instrumentum est ratiocinium, vates in motibus animi regnat; philosophus ratione calculoque nititur, poëta instinctu impulsuque sensuum ad versus componendos instigatur; ille argumentis argute conclusis voluntatem hominum regit, hic oblectamentis verborum et formarum elegantia animos permulcet. Informat philosophus sententias hominum iisque viam recte cogitandi et judicandi monstrat; poëta autem multus in ingenii celeritate et in lenocinio sermonis est; ille utitur demonstrationibus certisque vocabulis et apodictica dictione loquitur; hic similitudines varietatemque verborum

adhibet nec demonstrationibus utitur. Philosophus non copia locutionum, sed parsimonia et jejunitate dicendi pollet; poëta autem saepissime verbis abundat; ille copiosius est sententiis, poëtae vero satis saepe una est sententia, quam varia dicendi forma amplificat atque exornat; itaque philosophus non in uno cogitato acquiescit; nam vir sapiens ex aliquo quasi cumulo cogitationum novas sententias deducit; poëta autem una cogitatione vel commento contentus esse potest, cum illam varie describat et depingat. Philosophus severe, rigide, jejune, liberque animi motibus cogitat; poëta sensus auditorum incitat et summopere afficit; quare vates non tam ad philosophiam adjuvandam et adaugendam quam ad religionem ornandam et honestandam confert.

Philosophus historia problematis enarrat, ut falsa distinguat a veris utque perspiciat quid inde novi efficiatur; poëta historiam vel fabulam narrat ut lectoris animum deleat. Ille semper eadem tranquillitate mentis eminet ac pro rerum veritate iudicat; hic tamen animi motiones variat. Philosophia non multorum hominum provincia est propter duritiem et congeriem vocabulorum; poësis plerumque per multos homines attrahit, quia hoc illius artis proprium est ut quivis primoribus dumtaxat labris dulcedine versiculorum fruatur. Philosophus et princeps civitatis inter se juvantur et unum quasi effingere debent; ille non commentis sed verissimis fundamentis nititur ad ratiocinandum; hic vanis imaginibus obsessus sensa flumine versuum effundit. Philosophus abstinere solet figuris metaphorisque ne sententiarum pereat perspicuitas; poëta quidem metaphoris, comparisonibus, luminibus operam dat ut unam rem tamquam vivam oculis subjiciat.

Sapiens humanae vitae rector est, vates vero ejusdem vitae comes videtur. Ille leges proponit quibus homo vitam gubernetur; hic non leges praescribit, sed exempla describit eorum qui cum laude vixerunt; philosophia reatrix rationum et operationum, poësis socia laborum est. Philosophus de hominis existentia profundius, accuratius, doctius disputat quam poëta. Ille est rex cogitationum, hic autem pedisequus sensuum. Philosophus operationes cogitandi voluntate firma incipit et perficit, neque animi motibus ducitur; poëtae contra animus casu quodam incitari debet neque alieni homines voluntate ad versus faciendos cogi potest. Amator sapientiae ad cogitandum solitudinem et tranquillitatem loci diligit; versuum scriptor ubique terrarum inspirari potest. Philosophus sine impulsionibus motionibusque musicae cogitur, poëta autem impellitur varietate sonorum musicae ad versus numeris ornandos. Multitudo philosophorum major esse solet quam poëtarum, quia celerius et facilius cogitamus quam carmen metrico fingimus. Philosophus semper poëtae utilis est, quod huic cogitata offert atque explicat semperque severitate iudicii et claritate dicendi praestat; poëta tamen philosopho incommodo damnoque est, quia ille mentis celeritate effrenata abutens cum licentia poëtica a recta norma rationis decedit ad proprium inclinans arbitrium.

Ille existentiam spiritualem hominis in necessariis fundamentis collocat; hic ornamenta ad hanc existentiam et non necessaria apportat. Plures commentarii scribuntur ad dilucidanda opera philosophica quam ad poëtarum opuscula enodan-

da, quod illorum sententiae difficiliores intellectu videntur quam formae versuum. Philosophus pluris existimandus quam poëta; quoniam ille profert quae vera sunt, neque quidquam veritati anteponi fas est. Philosophorum opera graviora multoque minus in honore nummario sunt quam poëtarum scripta; studium enim philosophiae plus difficultatis habet radicesque amaras unde constantia et firmitas paucorum est; poëticus autem labor semper plus hilaritatis offert faciliusque plurium plausum inveniet. Philosophia est cibus durus, sed perennis; poësis tamen dulciaria temporanea praebet. Philosophus philosophando non fit dives, sed angustiis vitae premi solet; etiam poëta ex natura operum suorum per se homo pauperrimus est; idemque multum debet philosopho, qui vias cogitandi aperit, quas etiam vates sequatur oportet. Tandem philosophus ad cultum humani generis multo plus valet quam poëta.

EMIL ORTH

## DE PLANTIS

### VOCABULARIUM

- |  |  |
|--|--|
| Abrojo, <i>tribulus</i> , i, m.                                  | Caña, <i>arundo</i> , inis, f.; (-de azúcar, <i>sacchāri arundo</i> ). |
| Acelga, <i>beta</i> , ae, f.                                     | Cardo, <i>carduus</i> , i, m.  |
| Acónito, <i>aconitum</i> , i, n.                                 | Cebada, <i>bordeum</i> , i, n.   |
| Achicoria, <i>cichorium</i> , ii, -rēum, i, n,<br>intubum, i, n, | Cebolla, <i>caepa</i> , ae, f.; <i>caepe</i> (indecl.)                 |
| Adormidera, <i>papaver, eris</i> , n.                            | Cáñamo, <i>cannābis</i> , is, m.                                       |
| Ajenjo, <i>absinthium</i> , ii, n.                               | Césped, <i>cespes</i> , itis, m.                                       |
| Ajo, <i>allium</i> ii, n.  | Cicuta, <i>cicuta</i> , ae, f.   |
| Albahaca, <i>ocimum</i> , i, n; [-us -i, m.]                     | Clavel, <i>dianthus</i> , i, m.; <i>caryophyllum</i> , i, n.           |
| Alcachofa, <i>cināra</i> , ae, f.                                | Cohombro, <i>cucumis</i> , is, vel <i>eris</i> , m.                    |
| Alelí, <i>leucoion</i> , ii, m.                                  | Coliflor, <i>brassica</i> , ae f.                                      |
| Alfalfa, <i>medica</i> , ae, f.                                  | Corregüela, <i>convolvulus</i> , i, m.                                 |
| Altramuz, <i>lupinus</i> , i, m.                                 | Criadilla, <i>tuber, eris</i> , n.                                     |
| Alubia, <i>phaseolus</i> , i, m.                                 | Dalia, <i>dablia</i> , ae, f.  |
| Amapola, <i>papaver, eris</i> , n.                               | Eléboro, <i>verātrum</i> , i, n.; <i>belleborum</i> , i, n.            |
| Amaranto, <i>amarantus</i> , i, m.                               | Escarola, <i>intubus</i> , i, m.                                       |
| Anémoma, <i>anemone</i> , es, f.                                 | Espárrago, <i>asparagus</i> , i, m.                                    |
| Anís, <i>anisum</i> , i, n.                                      | Espinaca, <i>spinaca</i> , ae, f.                                      |
| Apio, <i>apium</i> , ii, n.                                      | Espliego, <i>lavandula spica</i> .                                     |
| Arroz, <i>oryza</i> , ae, f.                                     | Flor de lis, <i>juniora rosa</i> ; [ <i>amaryllis, idis</i> , f.]      |
| Arveja, <i>visia</i> , ae, f.                                    | Carbanzo, <i>cicer, eris</i> , n.                                      |
| Avena, <i>avēna</i> , ae, f.                                     | Geranio, <i>geranium</i> , ii, n.                                      |
| Azafrán, <i>crocum</i> , i, n.                                   | Girasol, <i>heliotropium</i> , ii, n,                                  |
| Azucena, <i>lilium</i> , ii, n.                                  | Gramma, <i>gramen, inis</i> , n.; <i>agropyrum</i> , i, n.             |
| Begonia, <i>begonia</i> , ae, f.                                 | Guisante, <i>pisum</i> , i, n.   |
| Berenjena, <i>mologena</i> , ae, f.                              | Haba, <i>fabā</i> , ae, f.   |
| Berro, <i>nasturtium</i> , ii, n.                                | Helecho, <i>filiX, icis</i> , m.                                       |
| Berza, <i>brassica</i> , ae, f.; <i>caulis</i> , is, m.          | Hinojo, <i>feniculum</i> , i, n.; <i>marāthrum</i> , i, n.             |
| Calabaza, <i>cucurbita</i> , ae, f.                              | Hongo, <i>bolētus</i> , i, m.; <i>fungus</i> , i, m.                   |
| Campanilla, <i>pharbitis</i> , is, f.                            | Hortensia, <i>hortensia</i> , ae, f.                                   |
| Canela, <i>casia</i> , ae, f.                                    | Jacinto, <i>hyacinthus</i> , i, m.                                     |

Jazmín, <i>jazminum</i> , i, n.	Perejil, <i>petroselinum</i> , i, n.
Labrusca, <i>labrusca</i> , ae, f.	Porifollo, <i>anthriscum</i> , i, n.
Lárice, <i>larix</i> , ícis, f.	Pimiento, <i>capicum</i> , i, n.
Laurel, <i>laurus</i> , i, f.	Pita americana, <i>arbutula</i> , ae, f.
Lentisco, <i>lentiscus</i> , i, m.	Poleo, <i>pulegium</i> , íz, n.
Lenteja, <i>lens</i> , tis, f.; <i>lenticula</i> , ae, f.	Puerro, <i>porrus</i> , i, m.
Lechuga, <i>lactuca</i> , ae, f.	Regaliz, <i>glycyrrhiza</i> , ae, f.
Lila, <i>syringa</i> , ae, f.	Remolacha, <i>betaceus</i> , i, m.
Lino, <i>linum</i> , i, n.; fino (holanda), <i>carbāsus</i> , i, f.	Repollo (col), <i>caulis</i> , is, m.
Lirio, <i>lilium</i> , ii, n.	Romero, <i>rosmarinus</i> , i, m.
Madreselva, <i>lonicera</i> , ae, f.	Rosal, <i>rosarium</i> , ii, n.
Maíz, <i>zea</i> , ae, f.	Rubia, <i>rubia</i> , ae, f.
Malva, <i>malva</i> , ae, f.	Ruda, <i>ruta</i> , ae, f.
Malvavisco, <i>althaea</i> , ae, f.; <i>bibiscum</i> , i, n.	Ruibarbo, <i>rhaeum</i> , i, n.
Manzanilla, <i>anthēmis</i> , idis, f.	Sensitiva, <i>pubica mimosa</i> , ae, f.
Margarita, ( <i>perennis</i> ) <i>bellis</i> , idis, f.	Siempreviva, <i>heliochryson</i> , i, n.
Melisa, <i>apiastrum</i> , i, n.	Tomillo, <i>thymum</i> , i, n.; -us, i, m.
Menta, <i>mentha</i> , ae, f.	Trébol, <i>trifolium</i> , ii, n.
Moco de pavo, <i>amarantus caudatus</i>	Trigo, <i>triticum</i> , i, m.; <i>frumentum</i> , i, n.
Mostaza, <i>sināpi</i> (ind.), -is, is, f.	Tulipán, <i>tulipa</i> , ae, f.
Muérdago, <i>viscum</i> , i, n.	Verdolaga, <i>portulaca</i> , ae, f.
Musgo, <i>muscus</i> , i, m.	Vid, <i>vitis</i> , is, f.
Narciso, <i>narcissus</i> , i, m.	Violeta, <i>viola</i> , ae, f.
Nardo, <i>nardus</i> , i, m.	Yedra, <i>hedera</i> , ae, f.
Ortiga, <i>urtica</i> , ae, f.	Zanahoria, <i>carōta</i> , ae, f.
Parietaria, <i>parietaria</i> , ae, f.	Zarzaparrilla, <i>smilax</i> , ácis, f.
Pasionaria, <i>passiflora</i> , ae, f.	Zizaña, <i>zizania</i> , orum, n. pl.
Pensamiento, <i>bortensis viola</i> , ae, f.	

## PROVERBIA

Caultbus alternis, lactuca intersita ridet:  
*entre col y col, lechuga*

Conscius ipse sui, de se putat omnia dici:  
*quien se pica, ajos ha comido.*

Quaesitum nomen tempus in omne iuvat:  
*cobra fama, y échate a dormir.*


## OLUS MIRACULOSUM

Brassica est quae omnibus oleribus antistat. Eam esto vel crudam vel coctam. Si crudam vis edere, in aceto intingito. Salubre est. Si voles in convivio multum bibere et cenare libenter, ante cenam esto quantum voles ex aceto; et item, cum cenaveris, comesto aliqua folia. Reddent te quasi nihil ederis et biberis, poteris iterum bibere quantum voles. Si quid dolet, si quid luxatum, brassicam tritam apponito; cito sanum faciet. Si bilis atra est, si lienes turgent, si cor dolet, si jecur, si pulmones, si praecordia male se habent, si mali quid intus est, nolito aliam medicinam sumere; brassicam coquito, brassicam esto; nullo sumpto, te sanum faciet.

(Ex Catonis fragmentis)



# NOVA ET VETERA



PICTURA 16.<sup>a</sup> (Prosequitur)

## INCENDIUM

1. — Rumor sinister in urbe serpit: in teatro incendium coortum. Cum ad aream<sup>96</sup> pervēni, turba in crepidine<sup>46</sup> et in via strata<sup>47</sup> congregatur. Officiales postales<sup>44</sup> atque tabellarii<sup>45</sup> ex officina procedebant. Electrivoctor<sup>48</sup> electrivēham repressit ut raedae circumforanae urbanae<sup>50</sup> viam daret, quae cum medico<sup>52</sup> et valedudinario<sup>51</sup> advēniebat ut hominem saucium reciperet, quem in lectulo<sup>54</sup> aspostaverant prope diariorum tentoriolum.<sup>55</sup>

2. — Peditum centuria, qui ex exercitiis militaribus adveniebant, remorati sunt ut ordinis modum cum custodibus municipalibus,<sup>62</sup> equo utentibus, servarent. Equites, quorum equi arrecto pectore exsultant, curiosos<sup>56</sup> facilius quam milites<sup>57</sup> aut vigiles militares<sup>63</sup> submōvent. Hi praeterea plura agunt. Ex iis quidam custodibus publicae securitatis<sup>64</sup> innuit quo homo recens laesus<sup>65</sup> ducendus: strenuus est siphonarius, qui ex scalis decēdit.

3. — Officialis<sup>66</sup> locum monstrat ubi siphonem vaporalem<sup>67</sup> nuper advectum collocare oportet. Dum haec exspectatur praepōtens machina, manulem siphonem

nem<sup>68</sup> ad ignem admōvet, cuius tubulus<sup>69</sup> in ignem conceptum aquae flumina profundit. Sex siphonarii eam machinam movent, dum socius qui fistulam<sup>70</sup> fert, aquam salientem,<sup>71</sup> ubi solidus est ignis, immittit.

4. — In adversa theatri parte magnae scalae<sup>72</sup> admotae sunt, quibus siphonarii fas est accedere ad flammam, quae fumidos ac nigros vortices<sup>75</sup> exsuperant.

5. — Ignis<sup>74</sup> in theatri<sup>73</sup> foco, dum drama melicum experimento expectabatur, ortus est, cuius spectaculum in crastinum erat primum exhibendum. Forte fortuna pauci in consessu erant spectantes.<sup>76</sup> Infortunati in moenianum<sup>77</sup> confugerunt, quo validi siphonarii<sup>86</sup> cum scalis et funibus eis auxilio veniunt.

6. — Sub peristylo, ubi libellus spectaculum praenuntiat, symphoniae musicos instrumenta gestantes atque fugientes videmus: eaque sunt violina,<sup>81</sup> tibia,<sup>82</sup> fidula major,<sup>83</sup> tromba,<sup>84</sup> tympanum,<sup>85</sup> ceteraque. Supelletilis<sup>87</sup> partem omnes servare curant.

7. — Scaenici artifices<sup>89</sup> et mimae,<sup>88</sup> cantores et cantrices se in fugam dant comicis vestibus induti. Tenor diurnario,<sup>92</sup> quo modo res evenerit, explicat. Referens cum vici primoribus statim accessit: hi autem sunt praefectus,<sup>91</sup> comarchus seu vici magister,<sup>93</sup> publicae securitatis commissarius,<sup>94</sup> magistratus,<sup>95</sup> qui omnes de culpa statuenda inquirent.

## VOCABULARIUM

- rumor serpit, increbrescit, *corre el rumor*.  
incendium cooriri, *estallar un incendio*.
- 46 crepido, inis, f., *acera, trottoir*.  
47 via strata, *carretera, chaussée*.  
44 †officialis \*postalis, *empleado de correos*.  
45 tabellarius, ii, m., *cartero, lacteur*.  
48 \*electrivoctor (vector electricus), *conductor de tranvía, wattman*.  
raeda †circumforanea (\*ambulatoria), *coche-ambulancia*.  
dare viam, *dejar pasar, laisser passer*.
- 51 valetudinarius, ii, m., *enfermero, infirmier*.  
54 lectulus, i, m., *camilla, brancard*.  
ordinis modus, *servicio de orden*.
- 11 custos municipalis, *guardia municipal, garde municipal*.  
arrecto pectore exsultare, *encabritarse, se cabrer*.
- 63 †vigil militaris, *guardia civil, gendarme*.  
64 †custos publicae securitatis, *agente de policía, agent de police*.
- 65 homo laesus, *víctima, victime*.  
siphonarius, sparteolus, i, m., *bombero, sapeur-pompier*.
- 67 †sipho, onis, m., [antlia, f.] vaporalis, *bomba de vapor, pompe à vapeur*.  
69 †tubulus, i, m., *manga, tuyau*.  
aquae flumina (profluvia), *torrentes de agua*.  
70 †fistula, ae, f., *lanza, lance*.  
aqua saliens, (aquae ejectionis), *chorro, jet*.  
ubi solidus est ignis, ubi caput est ignis, *bacia el foco del incendio*.  
quae fumidos ac nigros vortices exsuperant, *que se levantan en medio de torbellinos de humo negro*.  
†drama melicum (musicum), *ópera, ópera*.  
experimento spectari, *ensayar*.  
spectaculum, i, n., *representación, représentation*.  
consessus, us, m., *sala (de espectáculos), salle*.  
moenianum, i, n., *balcón, balcon*.
- 79 libellus, i, m., *cartel, alfiche*.  
80 †symphoniae musici, *músicos de orquesta*.  
81 \*violina, ae, f., [†fides, ium], *violín, violon*.  
82 tibia, ae, f., *flauta, flûte*.  
83 \*fidula major, *violoncelo, violoncelle*.  
84 \*tromba, ae, [tuba media], *trombón, trombone*.  
85 tympanum, i, n., *tambor, tambour*.

87 supellex, cātilis, *muebles, mobilier.*

89 scaenicus artifex, aētor, *acteur.*

88 mima, ae, f., aētriz, *atrice.*

vestis comica, [syrma, ae, f.], *vestido de teatro, costume de théâtre.*

\*tenor, ōris, m., [\*tenorista], *tenor, ténor.*

\*diurnarius, ii, *periodista, journaliste.*

†referens, ntis, *reportero, reporter.*

vici primores, *las autoridades, les autorités.*

93 †vici magister, comarchus, i, m., *alcalde, maire.*

94 †publicae securitatis \*commissarius (curator, quaesitor), *comisario de policía.*

inquirere, *averiguar, ouvrir une enquête.*

de culpa statuenda, *para apreciar responsabilidades, pour établir les responsabilités.*

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

Versio latina opusculi *Livret explicatif des Tableaux Delmas*, editorum licentia prodiit: jura proprietatis vindicantur

## Sermonis Latini notae

### De substantivo hispanico vertendo

A) Substantiva abstracta hispanica quorum sensus facile intellegitur, ut sunt *expresión, dicho, verdad, hecho, cualidad, palabra, razón, argumento*, cet., latine omittuntur, pro quibus sufficiuntur *pronomina neutra* —saepius in *prurali* numero—, vel *adjectiva abstracta*:

I. Pronomina: a) *possesiva*: *Nostra* legens (Cic. *De off.* I, 1, 2). *Mea* legens (Cic. *De amic.*) [*nuestros escritos*]. Orationem autem latinam efficies profecto legendis *nostris* pleniorum (Cic. *De off.* I, 1, 2) [*con la lectura de mis obras*].

b) *demonstrativa*: Neque enim assentior iis qui *haec* nuper disserere coeperunt (Cic. *De amic.* 4, 13) [*que defienden esta doctrina*]. Praeclarum *illud* Platonis (Cic. *De off.* I, 19, 63) [*aquel famoso dicho*]. Pyrrhi quidem de captivis reddendis *illa* praeclara (Cic. *De off.* I, 12, 38) [*aquellas célebres palabras*]. *Haec* refelli possunt (Cic. *Tusc.* I, 33, 80) [*estas razones*].

c) *indefinita*: *Quam multa* passus est Ulisses in illo errore diurno (Cic. *De off.* I, 31) [*cuántos trabajos*]. Scitum est illud Catonis, ut *multa* (Cic. *De amic.* 24, 90) [*aquel dicho de C. como otras muchas sentencias*].

d) *relativa*: Doctorum est ista consuetudo ut iis ponatur de *quo* disputant, quamvis subito (Cic. *De amic.* 5, 17) [*un punto de discusión*]. Suppetere nobis posse *quod* cottidie dicamus (Cic. *Pro Arch.* 6, 12) [*la materia*]. Inde tibi tuaeque rei publicae *quod* imitere capias (Liv. *Praef.* 10) [*un ejemplo*].

Saepe etiam in locutionibus: *ex quibus eruitur, quae cum ita sint...*

II. *Adjectiva abstracta*: Illa tandem num leviora censes quae declarant inesse in animis omnium *divina* quaedam (Cic. *Tusc.* I, 24, 56) [*alguna cualidad divina*]. Et *domestica* feremus et *publica* [*las calamidades públicas y privadas*]. Co-

gitantes *supera* atque *caelestia*, haec nostra, ut *exigua et minima*, cōtemnimus [maravillas del cielo, pequeñez y miseria].

B) Substantiva verbalia hispanica saepe numero mutantur etiam:

a) *in participium praesens* cum actionem significat quae simul cum verbo principe fit:

Sol *oriens et occidens* diem nōctemque efficit (CIC. *De nat. d.* 2, 40, 102) [la salida y puesta del sol]. *Oriens* pulvis signum *appropinquantium* hostium fuit [el levantamiento, la aparición del polvo... de la llegada de los enemigos]. Non solum dixi, sed etiam saepe facio, diis hominibusque *approbantibus* (CIC. *Ad fam.* 1, 9, 19) [con la aprobación]. *Aquilonem* praenuntiat terra *siccescens* repente (PLIN. 18, 34, 77 (339) [la sequía, la aridez de la tierra]. *Fugiens* Pompejus animos commōvet [la huida de P]. *Nemo laborantem* me adjuvit [en mi trabajo]. *Fremitus indignantium* tota curia erat [gritos de indignación]. *Voces exprobatium* [voces de reproche]. *Clamor mirantium, paventium* [gritos de admiración, de miedo].

b) *in participium praeteritum* cum substantivum hispanicum verbi actionem absolutam seu prius facta designat:

a) *in nominativo*. *Caesar occisus* rursus rem publicam miscuit ac perturbavit [la muerte de C.]. *Moenia conspecta* [la vista de las murallas]. *Reges exacti* [la expulsión de los reyes]. *Sepulcrorum cerimoniae violatae* [la profanación de la santidad de los sepulcros]. *Merces exportatae* [la exportación de mercancías]. *Triumphus actus* [la celebración del triunfo]. *Lacedaemoniis nulla res tanto erat damno quam disciplina Lycurgi violata* (LIV. 38, 34, 9) [que la supresión de la constitución].

β) *in accusativo*: *Congratulabantur omnes libertatem recuperatam* [logro de la libertad].

γ) *in genetivo*: *Nemo L. Paulo eripere decus perfecti belli macedonici potest* [de la terminación, conclusión de la g.]

δ) *in dativo*: *Carthaginienses Capuae amissae Tarentum captum aequabant* [la pérdida de C., la toma de T.]. *Caesarem conspecto Pompeji capiti illacrimatum esse constat* [a la vista de la cabeza].

ε) *in ablativo*: *Verendum mihi non erat, nequid, hoc parricida civium interfecto, invidiae mihi in posterum redundaret* [con la muerte de este parricida]. *Regnum haud satis prosperum fuerat, vel neglectis religionibus vel prave cultis* [o por el desprecio o por el descuido]. *Gloriari Hannibale victo* [de la derrota de A.].

ς) *adjecta praepositione*: *Regnatum est Romae ab condita urbe ad libertatem annos ducentos quadraginta quattuor* [desde la fundación de R.]. *Ab incenso Capitolio vigesimus annus est* [desde el incendio, desde la quema]. *Nemo ibit infitias Thebas ante Epaminondam natum...* [antes del nacimiento]. *Queri propter urbem amissam. Post urbem captam. Ante, post Christum natum. Caesar queritur de Milone per vim expulso* [de la expulsión violenta].

c) *in gerundivum* cum substantivum hispanicum actionem exprimit quae aut simul fit cum verbo príncipe aut futura est:

Brutus et Cassius ab *occidendo* (actio fut.) Caesare non abhorruerunt [del asesinato]. Multa populus paravit *tuendae* libertatis [para la *defensa* de la libertad]. Primus Tusculanarum quaestionum liber est de *contemnenda* morte [del *desprecio*]. Pro *recuperanda* libertate pugnare [para la *consecución* de la l.]. Omnes consentiebant de Milone *expellendo*, de Carthagine *delenda* [sobre la *expulsión*, sobre la *destrucción* de C.]. Dux urbe *defendenda* magnam gloriam sibi parere statuit [con la *defensa*]. Moderatio in *praetermittendis* voluptatibus cernitur [en el *menosprecio*]. Ab *oppugnanda* Neapoli Hannibalem absterruerunt conspecta moenia [del *ataque*, del *asedio*].

C) Pro substantivis abstractis efferuntur quoque latine orationes relativae, interrogativae, infinitae praecipuae cum verbis percipiendi et asserendi:

a) *orationes relativae*: Nunc ea videmus quae contra ab his disputari solent (Cic. Acad. 2, 13, 40), [las *objecciones*]. Equidem non dubitabo quod sentio dicere (Cic. Pro Font. 10, 14, 61) [mi *opinión*]. Hoc ad id quod est propositum non est necessarium (Cic. Orat. 20, 68) [no viene al *caso*, a nuestro *propósito*]. Qui Isocratem maxime *admirantur*, hoc in ejus summis laudibus ferunt, quod primus verbis solutis numeros adjunxerit [los *admiradores* de I.]. Qui in agris *habitant* [los *habitantes*]. Quae Plutarcus protulit [las *afirmaciones*].

b) *orationes interrogativae*: Plane quid sentiam anuntiabo (Cic. De orat. 1, 26, 119) [mi *pensamiento*, mis *sentimientos*]. Quid ex quaque re soleat evenire considerandum est (Cic. De invent. 1, 28, 42) [los *efectos*]. Si quaeritur unde ortus sit numerus, ad quam rem *adhibeatur* (Cic. Orat. 60, 23) [el *origen*, la *utilidad*]. Quid cogitet me scire sentiunt (Cic. Catil. 2, 3, 5) [sus *designios*]. Hannibal statim cognovit quanto in discrimine esset exercitus romanorum [el *peligro* del e. r.]. Caesar vocatis ad se undique mercatoribus tamen, quanta esset insulae Britanniae magnitudo, reperire non potuit [no pudo saber la *extensión* de la i].

c) *orationes infinitae*: Permanere animos arbitramur (Cic. Tusc. 1, 16, 36) [creemos en la *inmortalidad* del alma]. Plerique deos esse dixerunt nullos esse Diagoras putavit (Cic. De nat. d. 1, 1, 2) [negó la *existencia*]. Aristoteles Orpheum omnino non fuisse docere conatus est [se esforzó en negar la *existencia*]. Metrodorus beatum esse describit his fere verbis (Cic. De fin. 2, 28) [la *felicidad*].

J. M. TRISTANIUS, C. M. F.

Barbañri.

## Q. Horatius Flaccus

I. — Lyricum poëma, summa cum laude a graecis tractatum, quorum animi ardore aliquo celerrime concitabantur, diu apud romanos jacuit, cum rei publicae disciplina ac religionis ratione, tum gravitate et constantia gentis, quae haud facile acri poëtarum spiritu atque impetu commovebatur atque incendebatur.

Hoc genus Horatius suscepit et in eo omni tempore princeps vel potius solus exstitit. Ab ineunte aetate graecorum studio delectatus est et magna, ut in versibus apparet, Pyndari admiratione commovebatur, cujus vim atque vigorem, granditatem atque elationem aemulari se posse negat; virile ingenium et animi vim in ejus fidibus positam ab infortunata Sapho, Alcaei acerbitatem, venustatem Anacreontis, Caeae munera neniae, rabiem Archilochi, Stesichorique graves Camenas celebravit.

In eo gloriatur quod «parca non mendax» illi, non divitias, sed «spiritum tenuem graeae Camenae» dederit. Et quamquam Catullus hoc ex aliqua parte praestitit, se principem fuisse qui ad italos deduxisset Saphus, Alcaei et Archilochi lyrica carmina, praedicabat. Adolescentulus concitatis iambis animum effudit, et illos summos poëtas imitatus est atque expressit. Nec unquam ab eorum quasi vestigiis discessit. Sed vehementer errare mihi videtur qui credat Horatium graecorum interpretis tantum munere fungi. Quorum, ut ipse fatetur, metra et artificia, sed non eorum poësis intima secutus est.

Didymus Chericus ille quidem Horatii carmina cum pulcherrimo musivo Lesbii lapillis composito comparavit. Sed haec existimatio multis severior, aliis autem subtilior quam verior videtur.

Nam Horatius, ad latinam poësim graecos numeros accommodans, eis novam formam potenti ingenio tribuit eosque adeo expolit ut —quamquam ipse imitator fuit— plurimi postea eum imitati sint, acquaverit autem nemo.

Quin etiam plane suus est cum domestica celebrat, vel populi romani majestatem exprimit, vel Reguli et Catonis virtutes canit; vel propria et amicorum tempestiva convivia enarrat; vel effusam saeculi licentiam insectatur; vel cives de luxuria objurgat, vel agricolarum innocentiam collaudat. Summa ingenii celeritate atque orationis suavitate res maxime humiles ac contemptas sensu afficit eisque dignitatem affert. Qua mollitia est animi, amore, amicitia, populi romani rebus vel prosperis vel adversis, locorum amoenitatibus, veris suavitate, asperitate hiemis, conviviorum jucunditate, Sabinorum frugalitate, Maecenatis luxu commovetur. Omnia splendidis coloribus ac bene sonantibus verbis illuminat, admirabili lepore, ingenuis atque urbanis salibus, sentiis praeclaris, imaginibus grandibus et insignitis, summa suavitate ac dulcedine exornat.

Scienter ac perite lingua utitur, et eam felicissime audax novis verbis locupletat, et mollem et ad omnia flexibilem vertit ut ipse omnia, ut nullus antea, circumscripte ornateque dicat.

II. — Licet Horatius in lyrico carmine alienus sit, praeter omnes in satira excellit; satira enim, legis quasi administra, illo tempore praesertim nascitur quo

virtus hebescit, et homines emolumentis et commodis omnia metiuntur, et ad servile obsequium atque sui cupiditatem delabuntur.

Tum is qui, fretus conscientia officii sui, horribile flagellum arripit et se profiteri virtutis magistrum severum audet, quamquam morum emendationem non adipiscatur, saltem praeclara reclamatione virtutem nondum extinctam esse et libertatem atque litterarum dignitatem servari posse corruptissimis temporibus monstrat.

Horatius autem, homo in primis dicax ac facetus, lectione imbutus veterum comoedorum incidit in aetatem qua publici mores et ridicula hominum materiam satirico carmini praebebant.

Omnia confusa ac perturbata bellis civilibus erant: alii fructu crudelium proscriptionum ditati, alii vero omnibus bonis expulsi. Hinc illae rerum conversiones tam repentinae, immodici quæstus studia et effusiones pecuniarum istinc divitum assentatores mensarum asseclae, et in omnibus dira cupido omnibus commodis fruendi et turpissimas voluptates undique hauriendi germinarunt.

Ipse horum flagitiorum nec solum spectator sed actor ea describit ut senis Lucilii rationem imitetur atque perpoliat. Avaros, veteratores aut supersticiosos et perditos homines irridens tabulas plenas veritatis, plenas artis pingit et multa de moribus romanis, quae frustra apud historicos quaereres, prodidit.

Singulari vir ingenio et paene divino naturam suam ad omne genus versat, et de gravibus seriisque rebus ad nugas et ridicula magna cum ingenuitate transit. Loquendi modus sanus et siccus, astrictus et contractus et idem dilucidus atque apertus; versus alias incompti atque inornati sunt, alias vero polito atque elegantes ac quibusdam quasi luminibus distincti verborum et sententiarum; graves et ad vehementes animi motus accommodati alias tardi, incitati alias sunt. Numerus leniter ac suaviter fluit, ample ac magnifice.

Hac poetica vel arte vel facultate tam praeclara, admirabilem ac plane singularem existit et eximiam formam, quam animo comprehensam habebat, expressam reddidit. (1)

GEORGIUS NOGUÉS, C. M. F.

Barbastri.

## PROVERBIA

Vulnera qui passus fuit, est bonus ille chirurgus:

*No hay mejor cirujano que el bien acuchillado.*

Improbis, ut noceat, causa non indiget ulla:

*el malo, para hacer el mal, a chaques no ha menester.*

Ne restim memores, apud ipsum reste necatum:

*tú que no puedes, llévame a cuestras.*

(1) Cfr. *Temas estilísticos*, del Prof. GANDINO, trad. J. BAEZA, S. J., t. 3, p. 353-363.

# Sanctae Clarae Assisiensis Laus

## VII

*Audite: portento novo  
Turbatur omnis civitas.  
Pulcherrime qui duxerat  
Olim juventae ludicra,  
Franciscus ille floridus,  
Versis retrorsum gressibus,  
Velutque demens et lacer,  
En nunc pererrat oppidum.  
Quo tactus ille fulmine?  
Intusve qua vi truditur?  
Qua mente fertur semitas  
Non usitatas ingredi?  
Virtute Christi, scilicet,  
Qua nulla vis potentior,  
Crucisque amore percitus  
In alta coepta prosilit.  
Novisque coeptis moribus  
Vis nulla jam divellere  
Ipsam valebit, civium  
Non pergraves facitiae,  
Non patris ira turbida,  
Non dura egestas omnium,  
Non daemonis vel denique  
Furentis astus callidi.*

## VIII

*Brevi relapso tempore,  
Vir ille demens et lacer  
Coetum novum coegerat  
Tecto sub almo Virginis.*

## IX

*Haec Clara prudens omnia,  
Quae fama late expanderat,  
Almo domus silentio  
Recepta, volvit pectore.  
Ut pluribus, virgunculae  
Non visa sunt deliria,  
Opus sed altum gratiae*

*Divae, Dei magnalia.  
Exinde curat alloqui  
Christi sequacem militem,  
Si possit ipsa compares  
Vitalis vias capessere.  
En facta compos fervidi  
Voti. Sub albo lumine  
Noctis, vireti in abdito,  
Haec verba miscent invicem.*

## CLARA

*Francisce, vellem discere:  
Quid te coëgit aggredi  
Vitalis genus sic arduum?  
Tu cuncta laetus despicias  
Quae cara sunt mortalibus:  
Opes, decus, videlicet,  
Plausus, honores, gloriam,  
Praeclara saeculi munera.*

## FRANCISCUS

*Quid, Clara, magni fecerim  
Temnens libenter talia?  
Mundi quid hujus gaudia  
Prosunt, brevi fluentia?  
Deus, Deus, mihi omnia,  
Dulcedo, pax, solacium;  
Nil praeter Ipsum cogito,  
Nil praeter Ipsum diligo.*

## CLARA

*Nimis videtur asperum  
Iter quod ambis currere:  
Nil possidere, non domum,  
Non horreum, non praedia,  
Non ulla quae vel victui  
Necesse sunt cottidie,  
Amare nil praeter Deum,  
Praeter Deum nil quaerere.*

JOS. A. URQUIOLA, O. F. M.  
(sequar)



## Epistolia soluta

J. A. (*Celsonae*). — Nimia est omnium dubitatio in quibusdam vocibus scribendis. Sic quo modo scribam: *novicius* an *novitius*, *contio* an *concio*, *nuntius* an *nuncius*?

*Novicius* scribe, sic enim scribuntur vocabula quae in *-icius* desinunt. Veterum inscriptiones ac monumenta eam tradunt stabilem scribendi rationem, eamque sequuntur qui hodie de orthographia latina pertractant. (Consule *Manuel d'orthographe Latine*, F. ANTOINE, Paris, Klincksieck, § 7, 1; *Grammaire Comparée du Grec et du Latin*, RIEMANN-GOELZER, Paris, Colln, I, 128). Scribendum tamen *propitius* ex notatione seu etymologia, nam juxta BRÉAL BAILLY (*Dictionnaire étymol. latin*, Paris, Hachette), et ERNOUT-MEILLET (*Dictionnaire étymol. de la l. lat.*, Paris, Klincksieck) et Gaffiot conflatur ex *pro* et *peto*: *propitius*, quasi qui petit seu *volat pro*, *porro*, *ante*, quod dei placati et faventis signum erat.

Ex etymo scribe quoque *Titius* quia ex *Tit us*, *Domitius*, quia ex *Domit-us*, ceterum *sodalicius*, *pontificius*, *natalicius*, *cathedralicius*, *nutricius*, cet.

Recta quoque scribendi ratio est *contio* ex etymo *contio* <con[ven]tio <\*conventio, quam scriptio testantur: ceterum ex verbo *ciere* promanare nequit, oriretur enim *con-citio* ut BRÉAL-BAILLY significant (*Dictionnaire étymol.*, sub v. *venio*).

Juxta monumenta et scriptores — quos supra memoravimus — scribendum quoque *nuntius*, *nuntiare*, cet.

J. A. (*Xerae Equitum*). — Tuis litteris legens, sum recreatus. Qua re sociorum litterae adeo et dormiunt et oblanguent? Qua re nobiscum non congregiuntur in PALAESTRA? Tibi igitur morem gerere statuimus atque alumnorum carmina in «Palaestra exercitatoria» prodere. In his

ac simillimis discipuli crebro exercentur oportet, quibus studium et amorem in litteras latinas foveant. Quas accipimus scriptioes ultro edemus; id tamen tibi omnibusque latinitatis magistris rogamus ut illas in primis discipulis tradant perficiendas compositiones quae in PALAESTRA proponuntur in sectione «*Compositiones vertendae*».

E. M. R. (*Orgivae*). — Chartulae tuae rescripsi. Praecipui scriptores qui de phonetica latina investigarunt ac pertractarunt. sunt: Niedermann, Sommer, Henri, Riemann-Goelzer, Cliquennois, quorum opera cum domibus editricibus tibi notavi. Haud facilis via eos ex Gallia advehendi.

### QUAESTIONES

(HISP. DR.) Tabacum fumare in deliciis habeo, saepe et adhibeo eas, quas *pipa* et *boquilla de fumador* appellamus; benignitatem tuam plurimum faciam si earum vocabula latine mihi exprimas?

*Pipam fumatoriam* saepe protulit «*Juventus*» (eph. hungarica) et «*Societas Latina*» (germana) a. 2 fasc. 1, p. 11; *fistulam fumatoriam* dixit quoque «*Juventus*» (a. 25, fasc. 6, p. 50), *nicoturam* vero «*Alma Roma*» (a. 28, f. 2, p. 20); deinde «*Societas Latina*» *pipam* emendavit et *fumisugium* proposuit (a. 7, 5 et a. 8, 2, 25)

Nos autem *siphunculum fumatorium* adhibuimus (P. L. fasc. 77-78, p. 16 et f. 97, p. 170, n. 17), nam *pipa* (hisp.) et forma et usu siphoni similis apparet et *fumisugium* — quod lenius asporet et sugat tabaci fumum — voci *boquilla* aptavimus. *Pipa* saltem e lexico latino expungenda est, *fistula fumatoria* non adeo repugnare videtur.

J. M.

# Colloquium

## DUO AMICI OBVII FIUNT

ANDREAS. — Quid horae est, Maxime exoptate?, substitit horologium meum, cursus (*cuerta*) enim suos absolvit.

MAXIMUS. — Modo elapsa est hora septima; inspice, (*horologium ostendens*) gnomon (*minutero*) indicat septimum punctum; nonne campanae sonitus audisti in turri curiae (*ayuntamiento*). Habesne horologium?

A. — Habeo; neque cubitum eo quin mecum portem suscitabulum (*despertador*) ut horam sciam saepius noctu, quamvis somnum prohibeat interdum adimatque jugis pendiculi oscillatio (*el tic-tac del reloj*).

M. — Pandas, amabo, horologium tuum.

A. — En tibi aureum.

M. — Optimum quidem horologium et auctoratum (*de buena marca*), mea quidem sententia. Rectene metitur? (*anda bien?*).

A. — Etsi cottidie illud ordino ut cum publico congruat, retardare solet quia intendere (*dar cuerta*) obliviscor.

M. — Omnis ergo in te recidit culpa; meum semper rectissime, ut nihil supra, metitur.

A. — Igitur, etiam nunc mihi vacat per duas horas ut in domum meam me recipiam priusquam solis aestus inualescat; praesertim cum nulla umquam ratione abduci possum ut caput opertum obambulem.

M. — Cur adeo festinanter?

A. — Quia nisi adfuero in tempore, actum erit de pelle mea.

M. — Ex hac parte nihil periculi tibi impendet. Cedo, quo pacto teras tempus postmeridianum in domo paterna?

A. — In primis, cave cogites me tempus terere, me diem frangere. Accipesummam vitae meae et nihil loci pigritiae in ea tributum aut concessum intelleges. Primo dilliculo, ad ipsum galli

cantum, ex sommo ultro ipse excitor —nemine valvas diaetae meae ardentante neque vocante—, hora quinta cum dimidia. Horas minores absolvo, sacellum deinde adeo ut rei sacrae faciam, ceteraque omnia expedio ab hora sexta ad sexquiseptimam plus minusve; deinde ad cubiculum me confero qua inexhausta sum studendi et legendi voluptate, ad octavam usque cum quadrante. Ubi sonuit nona, jentaculum sumo et in ludum litterarum intendo ad punctum horae primae pomeridianae; dimidia hora prandium oboeo; inter prandendum mos est lectionem alicujus libri aut ephemeridis audire ne subsecivum amittam; postea recreationi animi, si id fieri potest et comes sit, indulgeo et quieti unius horae spatium. Dum instat tertia jam tempus est breviarium recitandi; cetera ut decretum est. Cum haud longe est hora quinta, ludum rursus peto, et quod is locus postulat, toto ago pectore ad septimam. Hora nona, demptis quindecim minutis, cenam solitum est sumere et deambulationem inire, illius bene memor: «post cenam mille passus ire». Hanc rationem sequor diebus profestis, longe diversam in festis. Vide quam non teram tempus.

M. — Macte virtute! Sic itur ad astra. Laudo institutum. O si queam assequi!

A. — Poteris, velis tantummodo. Verumtamen non immerito apud omnes constat: «per aspra ad astra».

M. — Equidem semper «per praecepta gloria vadit iter» vel «immensum gloria calcar habet».

A. — Utcumque est, me magis movent illae octo litterae.

M. — Quae?

A. — A. M. D. G. et B. M. V. H.

M. — Minus has litteras novi; rectius,  
parum caplo.

A. — Consule sapientes. Illud saepe  
memoria repeto:

At si tardus eris, errabis, transiet aetas,  
quam cito non segnis flat remeatque

[dies]

Quam cito purpureos deperdit terra

[colores]

Quam cito formosas populus alta comas  
vidi jam juvenem, premeret cum senior

[aetas,

maerentem stultos praeteriisse dies.

Haec habeto; crastino die confabula-  
bimur plura. Si plus otii nacti eri-  
mus Nolo te morari diutius.

RAIMUNDUS SARMIENTO, C. M. F.

Villae Rosariae, in Argentina.

## Exercitationes Scholares

### I) EL CABALLO DE TROYA

*El silencio la sala ha cubierto;  
Hacia Eneas se van las miradas,  
Quien así comenzó su relato  
Desde el alto sitio que ocupaba:*

*«Que te narre me mandas, oh Reina,  
Unas cosas muy tristes y amargas;  
La manera de cómo los Griegos  
Derrotaron las fuerzas Troyanas  
Y de cómo sus manos inicuas  
destruyeron mi patria adorada.  
Todo ví, y una parte muy grande  
Me tocó de miserias tamañas.  
Pero, ¿qué Mirmidón, o qué Dólope,  
Qué habitante del resto de Itáca  
Al oírlas contar se abstendría  
De los lloros que brotan del alma?  
Silenciosa y muy fría la noche  
De su trono a la tierra se baja,  
Y los astros convidan al sueño  
Declinando con plácida calma.  
Pero ya sé que anhelas, oh Reina,  
El oír nuestras grandes desgracias  
Y saber del supremo momento  
Que arruinó para siempre a mi patria.  
Y aunque yo me horrorizo al contarlo  
Y mis lágrimas brotan amargas,  
Hablaré... Rotos ya por la guerra  
Que por múltiples años durara,*

*Un caballo construyeron los Griegos  
Semejante a una altiva montaña  
Con madera de abeto, y simulan  
Ser un voto que ofrecen a Palas  
(Por cuyo arte se hiciera el caballo)  
Por tener una buena jornada.  
Mas después en aquel seno oscuro  
Meten bravos soldados con armas...  
Se halla en frente la isla de Ténedos  
De la fama en el vuelo llevada,  
Que produjo cuantiosas riquezas  
Cuando Príamo en ella reinaba.  
Mas ahora tan sólo es un puerto  
Y un abrigo inseguro de barcas.  
Dirigiéndose allá los de Grecia  
En el yermo arenal se recatan  
A su tierra juzgando nosotros  
Que ya habían movido la marcha,  
Y con esto quedóse Troya  
Libertada de aquella desgracia;  
Trasponemos con gozo las puertas,  
Para ver el lugar donde acampaban  
Las falanges de Grecia y el puerto  
Do solían anclar sus escuadras.  
— Aquí Aquiles tenía su tienda,  
— Aquí estaban las Dólopes armas,  
El lugar de la escuadra era éste,  
Las peleas aquí se trababan...  
Unos miran el don de Minerva*

Cuya mole gigante arrebatada.  
 Y el primero Timetes exhorta  
 A que pase las fuertes murallas,  
 Ya movido de fines perversos,  
 Ya los hados así lo ordenaran.  
 Pero Capis y algunos Troyanos  
 De opinion más prudente y sensata  
 Despeñarlo en el mar aconsejan  
 Y entregarlo al furor de las llamas;  
 O, mejor, barrenándole el vientre,  
 Explorar sus ocultas entrañas.  
 El vulgacho ignorante en contrarios  
 Pareceres y bandos se rasga...  
 Cuando allí, adelantándose a todos  
 Los que en gran multitud le acompañan,  
 Laocoonte abrasándose en ira  
 Desde la cumbre del fuerte bajaba.  
 Y de lejos nos grita: ¡Infelices!  
 ¿Qué locura es la vuestra tamaña?  
 ¿Por ventura creéis que ha marchado  
 El cruel enemigo a su patria?  
 ¿O pensáis que algún don de los Griegos  
 Vendrá puro de fea artimaña?  
 ¿Es que no conocéis bien a Ulises?  
 O preñadas están estas tablas  
 De escondidos aqueos, o fueron  
 Contra el muro de Troya labradas,  
 Para entrar por encima en su seno  
 Y explorar nuestras dulces moradas;  
 O aquí hay fraude escondida. ¡Troyanos!  
 ¡No os fiéis del caballo de Palas!  
 Así habló y contra el vientre del bruto  
 Arrojó vigoroso su lanza...  
 Se mantuvo temblando, y al golpe  
 Resonaron las huecas entrañas.  
 . . . . .  
 Y si el Hado, si nuestra ceguera  
 No nos fuera siniestra, la espada  
 Destruyera el doloroso armadizo;  
 Y ahora en pie aún Estarías, oh patria.

S. GARCÍA, C. M. F.

(Trad. de la Eneida L. II v. 1-56) Al. V de lat.

## De Coniuratione Catilinae

Lucius Catilina, patre clarissimo natus, fuit magna vi animi et corporis, sed ingenio malo pravoque. Ab adulescentia semper huic tumultus intestinaque bella placuerunt. Syllae fautor, obtinuit Africae praeturam, sed cum a provincia postea reversus esset, frustra ter consulatum petivit. Qua re correptus ira, demoliri rem publicam conatur, seditio nem parat. Perditissimos cives concitat et Manlium in populos barbaros mittit ut exercitum Romae infestum conquirit. Catilina Ciceronem cum multis senatoribus occidere, tecta urbis inflammare, civitatis imperio potiri tentabat; sed de coniuratione Fulvia matrona, quae amicitiam cum quodam Curio Catilinae fautore colebat, consulem certiore fecit. Cicero autem cum patriam in magno periculo videret, ad templum Jovis Statoris sacrum, senatum convocavit ut coniurationem detegeret atque comprimere. Adfuit contioni ipsemet Catilina ut suspiciones depelleret et simul conspiratores incitaret. Cujus consilia Cicero praenoscebat, non potuit non orationem illam pronuntiare, in qua Consul reprobabat facundis verbis rationem sese gerendi conjurati etque jubet exitum, atque senatoris periculum magnum, quod imminet, monstrat.

Alias habuit Cicero in Catilinam orationes. Quarta tandem confecta, aliqui e conspiratoribus coniecti in vincula sunt atque occisi. Catilina profectus est in Manliana castra sed non multo tempore post, pugnans, confossus est.

A FRADERA, C. M. F.

Barbastrí

V. c. alumnus

### Litterarum latinarum initia

Quo citius Romanorum litterae adleverunt, eo celerius consenuerunt, si quidem non nemo aequalium Taciti extremam Ciceronis aetatem viderat. Graecorum vero litterae sensim suaque sponte creverunt, ut nihil aut non multum Phoenicum et Aegyptiorum adiumento uterentur. (FOIX). — At contra plus quam nulla unquam litterarum studia vigerunt. Quod si tantum temporis, quantum inter Homerum interest et Alexandrum respicimus, anni plus sexcenti sunt, sique ad gloriam insignes. (J. ABAD). (cfr. P. L. n. 103, p. 236)



SPES — DICCIONARIO ILUSTRADO LATINO-ESPAÑOL ESPAÑOL-LATINO. — 2.<sup>a</sup> ed. revisada por D. Vicente García de Diego Ptas. 30

SPES. — DICCIONARIO ABREVIADO LATINO-ESPAÑOL ESPAÑOL-LATINO — Reducción del anterior para los primeros cursos del bachillerato Ptas. 14

PABÓN-ECHAURI — DICCIONARIO GRIEGO-ESPAÑOL con lista de formas verbales y apéndice gramatical. — 2.<sup>a</sup> ed., revisada por D. José M.<sup>a</sup> Pabón. Ptas. 40

DICCIONARIO GENERAL ILUSTRADO DE LA LENGUA ESPAÑOLA. — Prólogo de R. Menéndez Pidal y revisión de S. Gili Gaya,

Encuadernado en tela	Ptas. 125
id. en media piel	» 150
id. en piel	» 200

#### CARACTERÍSTICAS PRINCIPALES DE LA OBRA

Ahonda en los usos y significado esencial de los verbos mediante una sistemática concatenación de sus acepciones.

Extrema la claridad en la explicación de preposiciones, conjunciones, adverbios.

Recuerda el origen de las palabras, mediante etimologías, prefijos, sufijos, parasintéticos, dobles etimologías.

Facilita la rápida y segura consulta de la Gramática, mediante la científica explicación de su terminología y los resúmenes de sus normas principales.

Trata los términos de religión, filosofía, derecho, etc., con especial rigor científico, dentro de la obligada concisión.

Señala los vocablos y giros incorrectos, junto con la expresión que debe substituirlos.

Da los plurales, diminutivos, pretéritos, etc., cuya formación puede ofrecer dificultades.

Concibe las ilustraciones, no como un mero adorno de la obra sino como explicación gráfica de la palabra

#### EDITORIAL SPES

Paseo Emperador Carlos I, 149

Telegr. EDISPES

BARCELONA - 13

Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis

**VINOS DE MISA**

**J. DE MULLER, S. A.**

**TARRAGONA**

Casa fundada en 1851



Medalla de Oro en la  
Exposición Vaticana de 1888 (S. S. León XIII)  
Proveedores de Sus Santidades.  
Pío X, Benedicto XV, Pío XI y Pío XII

**Garantía de absoluta pureza**

**EXQUISITA CALIDAD**

Certificados del Excmo. Sr. Arzobispo de  
Tarragona y de muchos otros Ilmos. Prelados

Cum emellis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis

# Compositiones vertendae

PLAUTO (continuación)

No encontró ni se preocupó mucho de buscar ilustres y poderosos patrocinadores (13), como (14) se buscó Andrónico un Livio Salinator; como Ennio, al primer Escipión (15); como Pacuvio, al sabio Lelio (16); como Terencio, al segundo Africano; sino que (17) tan pronto como se puso (18) a escribir comedias; se ennoblecó (19) más por esta muestra de ingenio que por la ayuda (20) de los poderosos. Así que al poco tiempo llegó a tener grande fama y adquirió copiosas riquezas. Las cuales ojalá no (21) le hubieran inducido a (22) engrandecerse (23) por medio del comercio. Fuese (24) por demasiado atrevimiento (25) o (26) por ignorancia (27) o (28) por algún revés (29) de la fortuna, en breve tiempo se encontró en la miseria (30) y se vió a las puertas de la calle (31).

NOTAS: 13. *Nobilium ac potentium gratiam neque invenire nec quaerere.* — 14. Repítase la partícula comparativa delante de cada uno de los términos; como Andrónico, como Ennio, etc. — 15. «*carus fuit Africano superiori noster Ennius*». Cic. Pro Arch. 9, 22. *Africanus superior.* — 16. *Sapiens* es un sobrenombre, como *Sulla Felix*, *Crassus Dives*, *Laelius sapiens.* — 17. *sed.* — 18. *se con-*

*ferre.* — 19. — *Honestari.* — 20. *ope.* — 21. «*Utinam istam calliditatem hominibus dii ne dedissent!*» Cic. De nat. deor. 3, 30, 75. *Utiam ne.* — 22. *In animum inducere,* con *inf.* — 23. *Amplificare.* — 24. *Sive.* — 25. *Temeritas.* — 26. *Sive.* — 27. *Inscitia.* — 28. *Sive.* — 29. *Injuria.* — 30. *Penitus decoquere, intrans.* — 31. *Ad summam inopiam venire.*

## MAGNANIMIDAD DE F. MAXIMO

Fabius Maximus quoniam cum Hannibale configere detrectabat (1), sed morā copias illius attenuabat (2), sequens illum per aspera montuosaque, ac subinde sese obiter opponens; a nonnullis per ludibrium dicebatur Hannibalis paedagogus. Hoc convicio (3) nihil commotus pergebat suum institutum sequi (4), dicens apud amicos: «Qui dicteria conviciaque metuat eum sibi videri timidiorem iis qui fugiunt hostes».

Cum de Minutio illius collega, quoniam nonnullos hostes dejecerat, multus esset ortus rumor tamquam de viro nomine romano digno, ait se magis secundam Minutii fortunam quam adversam pertimescere.

Paulo post, cum Minutius hostium insidiis saeptus (5) in summo esset periculo, ne cum suis copiis periret, Fabius e monte movens exercitum, venit illi auxilio, multisque trucidatis hostibus, ipsum eripuit (6). Hoc facto Hannibal suis dixit: «Nonne vobis saepenumero praedixi fore ut illa montana nubes nobis aliquam tempestatem immitteret» (7).

NOTAS: 1. *configere detrectabat,* rehusaba venir a batalla. — 2. *attenuabat:* debilitaba. — 3. *convicio:* zumba. — 4. *pergebat suum institutum sequi:* proseguía en su designio. — 5. *Hostium insidiis saeptus:* habiendo caído en una celada. — 6. *Ipsam eripuit:* lo libertó. — 7. *Immitteret:* descargar.

# CURIOSA ET JOCOSA

## EPIGRAMMATA

### 186. — INTER INQUILINOS

- Est mihi tam vere parvum miserumve cubiculum,  
Ut facile credas esse cubile canis!  
— Non est quod plusquam satis est stomacheris, amice,  
Namque adeo in minima versor et ipse domo;  
Ut simul ac radii Solis labuntur in illam,  
Inde foras pedibus cogar abire citis.

### 187. — CUI SECRETUM

- Si vis secretum tuta deponere in aure,  
Tutius illius pones in aure viri  
Qui mendax vel mutus erit, nam tutus uterque:  
Indiget hic verbis, indiget ille fide.

### 188. — MIRAE FAUCES

- Ergo prunorum nucleos, ut rusticus, hauris?  
— Sanus es? An nucleum cerea pruna ferunt?

### 189. — IN FACILEM POETAM

- Nil constare tibi passim tua carmina jactas.  
Nempe tibi constant illa quod ipsa valent.

### 190. — IN COEMETERIO

- Hic aspirantis tegitur spes magna sepulta.  
Dixerat: «Aut princeps aut nihil». Idque fuit.

191. — Manat aqua hoc bustum. Quid, an hic decumbit aquator?  
— Si memini, quidam caupo sepultus inest.

192. — «Omnis dulcedo jacet hoc sub marmore clausa».  
— Certe, nam pistor tempus in omne fuit.

- 193 — Mille hypothecatam venundat Horatius aedem.  
Hac fert se saturum — Nonne voravit eam?

### 194. — MUS ET AVARUS

- Dum felem pavitans prope insequentem,  
Mus quidam fugeret, necessitate  
Coactus subita, fefellit hostem  
Caecos insiliens lares avari.  
Qui cum bestiolam vidisset, inquit:  
«Quid tu, quid, nimium gulose, quaeris?»  
Cui mus: «O bone vir, timere nolis,  
Nec damnum metuas ab hoc misello.  
Non quem caseolum, benigne, quaero,  
Sed quem praeterito modum labori».

ISIDORUS MAULEÓN, C. M. F.